



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 230. Emisit Spiritum. v. 50

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

redimendo & reconciliando, nunc restare ultimum, scilicet mortem, ut totus igitur mundus, tam absentes quam præsentis mortales, audiant & attendant quanto cum dolore & nihilominus, cum quam perfecta ratione moriatur, testimonium perhibere possint suo tempore mortis ejus: ultimam & sanctissimam addit vocem.

O Christe, jure igitur laudant te & adorant, glorificantque omnes fines terræ, & ego licet minimus in gratitudine, maximus tamen peccatorum, humilio me ideo ante te mi Jesu & dico tibi deberi omnem laudem & gloriam & honorem, & potestatem & gratiarum actionem in sæcula sæculorum amen, cum hac mea annexa supplicatione humillima, ut cum mori debueram, clamē quoque ad te misericors Deus clamore valido, & cum lacrymis tactus dolore cordis ob multitudinem peccatorum meorum, & desiderio te videndi & ad te perveniendi, Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me, Sanguis Christi inebria me &c.

§. 230. *Emisit Spiritum. v. 50.*

Spiritum, creatum scilicet seu animam creatam, quæ humanum corpus & passibile & conceptum de Spiritu Sancto, natum ex Maria Virgine triginta tribus annis informarat, jam è Cruce ex eodem corpore emisit non recta ad cælum, vel quo libuisset, sed in inferiores terræ partes, scilicet limbum Patrum, ubi detenti parentes primi cum filiis suis Patriarchis & Prophetis & Sanctis Dei expectabant redemptionem, per hunc verum Dei filium. 2. Infernum, ut eundem Rex gloriæ Christus statim detriumpharet, & quasi victor coram hostibus intraret. Impletum est tunc quod in psalmis insinuat, nempe ut Chorus Angelicus ante faciem eius portas Principum tolli præciperet, tunc ploratus & eiulatus Ægypti magnus insonuit in toto inferno, viso suo Iudice. Nec amore aliorum hominum emisit spiritum, sed singulari quodam modo, non enim coactus, aut præter suam voluntatem, sed voluntariè sacrificavit & tradidit in manus patris spiritum suum. Hinc sole clarius patet, sic redemptos captivos iam non amplius esse nostri juris, sed Christi, qui membra nostra suis membris, nostras virtutes & potentiam, suis viribus & potentia, nostrum honorem & divitias, suo honore & divitiis nostrum corpus suo corpore, nostram animam sua anima ineffabiliter redemerit, solverit, & sibi ut spoliū victo hoste acquisierit.

Placet mihi dulcissime Jesu, placet me esse tuum Mancipium. Id esse volo & permanere in æternum: bonum enim mihi est esse tecum, bonum valde & jucundum & laudabile. Benedictus sit itaque Deus Pater, qui me creavit,

creavit; Benedictus Filius, qui me redemit; Benedictus sit Spiritus S. qui me & ad hanc gratiam vocavit & Sacramentis suis sanctificavit. Laudent igitur & mecum in gratiarum actionem ipsum meum redemptorem cum Patre & Spiritu S. cœlum, terra, mare & omnis creatura ejus in æternum incessabiliter amen, amen: fiat, fiat.

§. 231. *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum. v. 51.*

Ecce, ô homo, ad mortem creatoris tui moventur res inanimatæ, & cum vitam non habeant, luctum atque amorem assumunt & planctum quia rumpi, & quasi annihilari desiderant præ indignatione, & iniustitia, & crudelitate creaturæ rationalis in Deum factorem suum: alia motæ sunt & sonitum dedere præ gaudio, ob triumphantem Iesum contra inimicos eius & in interitum & terrorem impiorum: facta est autem hæc scissio grandis veli in templo, tum in detestationem Sacrilegii, quod commiserunt in Deum Judæi, tum in abominationem desolationis obventuræ iam iam veteri illi testamento: Summus Sacerdos Dei Caiphas cum audivit à Christo ipsum esse filium Dei, quasi hoc blasphemum esset scidit vestimenta sua in signum doloris: Deus etiam huiusmodi signum dare voluit in detestationem sceleris istius, quo & indicaret referata nunc esse mysteria veteris testamenti quæ variis modis tecta erant, nec non Sancta Sanctorum, id est gloriam cœlestem patere beatis per apertionem vulnerum Christi, & copiosam effusionem sanguinis eius, item abolitionem legis Judaicæ & transmigrationem Dei à Synagoga ad Ecclesiam, ad quod verificandum scribit S. Ephrem serm. de pass. Domini tunc temporis Columbam è templo evolasse, ut indicaretur migrasse à templo Iudæorum spiritum sanctum eiusque gratiam: & venire ad Ecclesiam Dei novi Testamenti, quam ipse spiritus sanctus accepit regendam & tutandam in sempiternum.

Veni Domine, & in me quoque velamentum intellectus, cæcitatem, & velamen voluntatis, malitiam & velamen potestatis executivæ, Excusationem à summo usque deorsum dirumpe in me & in cunctis qui in militante adhuc Ecclesia his velamentis sunt tecti. Revela te in nobis & ostende quod habites in nobis per illuminationem fidei exaltationem spei, fervorem caritatis, conversationem sanctam remoto omni fallaciæ & doli velamento Amen.

§. 232. *Et terra mota est. v. 51.*

Indignatur scilicet quod tam facinorosos & scelestos Deicidas portare debeat & crudeles in Creatorem alere, & quod non liceret eos vivos absorbere